

hac causa non procedere rei immobilis sequestrationem. Sed vereor, ne id ipsum nimium sit, quum non in genere de sequestratione loquatur iureconsultus, sed de ea, qua res apud officium deponitur, qualis omnino non cadit in res mobiles. Quare non dubito, quin et rerum immobilium sequestratio fieri recte possit, in primis, quum et in has possint incidere causae sequestrationis, uti docuit post alios HENRICVS RAHNEN <sup>m)</sup>, et ANDREAS CLVDIVS <sup>n)</sup>, eamque, sententiam video probari omnibus fere, qui in foro versantur <sup>o)</sup>. Quare etiam in legibus imperii sequestrationis rerum in genere et sine distinctione fit mentio <sup>p)</sup>, patriae vero leges diserte quoque res immobiles nominant <sup>q)</sup>, eaeque ipsae firmant distinctionem, qua diximus sequestrationem rerum immobilium, si conventionem ea ineatur, fieri contractu mandati.

§. XVIII.

## VTRVM CVSTODIA TANTVM, AN ET POSSESSIO REI SEQUESTRAE SEQUESTRI COMMISSA SIT?

si rei sequestratio facta est hoc modo, ut tertius eligatur, cui ea res committatur, quaeri solet a doctoribus, an possessio quoque eius rei sequestri commissa sit? Possessionem autem intelligunt eam, quae civilis in libris nostris vocatur, ideo, quia quis ita possidet,

I 3

vt

m) vbi saepius posit. 8.

p) Vid. Kayserliche Kammer-Gerichts-

n) libro, quem saepe laudavi cap. 1. ordnung Parte 2. Tit. 22. §. 4.

n. 19. et c. 8. n. 1-8.

o) ipse quoque HVBERS ad Dig. d. l. §. q) Vid. Land- und Hofgerichtsordn. P.

4. n. 1. fatetur, moribus aliter ob- 2. Tit. 40. §. 1. et totidem verbis

tinere ex iure Canon. clem. 1. de se- Guestrawische Canzleyordnung P. 2.

questr. poss.

Tit. 41. §. 1.